



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Eidem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

cialius permanebat, de nocte latenter mutato habitu quasi nudum ad sedem apostolicam destinavit. Cum autem dictus Episcopus appellationem interpositam per procuratorem idoneum memoratum Capellanum suum fuerit profecutus, dictus Rex non curavit idoneum mittere responsalem, licet quidam simplex nuntius ipsius P. dictus Abbas nobis ex parte sua litteras minus providas praesentavit. Quia vero quanto praedictum Regem ampliori caritate diligimus, tanto majori dolore turbamur quotiens nobis ea de ipsius actibus referuntur quae famam ejus obnubilant apud homines & conscientiam maculant apud Deum, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus atque praecipimus quatenus eundem Regem moneas attentius & efficaciter inducere non postonas ut memoratum Episcopum propriae restituat libertati, ablata eidem restituens universa, & de damnis, injuriis, & gravaminibus supra dictis sibi & Ecclesiae irrogatis satisfaciens competenter, ab eisdem & similibus de cetero sic desistat quod offensam divinae majestatis evitet, quam propter hoc creditur incurrisse, & apud homines ejus opinio, quae per praedicta maculata fuerat, releveretur. Alioquin, quantumcunque ipsius velimus honori deferre, quia tamen homini contra Deum deferre nolumus aliqua ratione, omni gratia, timore, ac amore postpositis ipsum ad hoc per illam quam magis videris expedire censuram & per poenam in compromisso statutam, qua se, sicut ex litteris Bracarensis electi nuper accepimus, voluntarie obligavit, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo compellere non postonas. Datum ut in alia per totum.

## E I D E M.

*Epist. 10.  
De negotio Episcopi Colimbricensis cum Egitanensis.*

**L**icet venerabilis frater noster Colimbricensis Episcopus, pro eo quod inter ipsum & Egitanensem Episcopum suffraganeum tuum super limitatione episcopatum suorum & quibusdam aliis quaestio ventilatur, te in causa sua possit judicem recusare, nos tamen de discretione tua ac prudentia plenè confisi, causam suam, quam habet contra carissimum in Christo filium nostrum Regem Portugalem illustrem, tibi de certa scientia duximus committendam. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatenus habens praeculis solum Deum, taliter in negotio ipso procedas quod & idem Episcopus suam & Ecclesiae suae justitiam pro-

sequatur, & nos devotionem tuam possimus exinde merito commendare. Ceterum quia, sicut accepimus, Cancellarius ejusdem Regis litteras nostras vel delegatorum nostrorum, quae mittuntur eidem, ob favorem ipsius aut interpretatur aliter quam se habeant, aut omnino subicit quod noscit regis auribus displicere, volumus & mandamus quatinus litteras quas super eodem negotio ipsi Regi dirigimus, per tuum Clericum ei praesentari facias, & legi etiam continentiam earundem; ipsum Cancellarium monens auctoritate nostra pariter & inducens ut sicut divinam non vult & nostram indignationem incurrere, ab opere tam iniquo de cetero conquiescat. Datum ut in alia.

ARCHIEPISCOPO ET  
suffraganeis Ecclesiae Senonensis.

**A**Dversus quosdam Clericos vestrorum dioecelium, qui dudum ad sedem apostolicam accedentes, a vicinis Episcopis, Castellano videlicet, & Ortano, Sutrino, & Nepesino, temerè se fecerunt ad sacros ordines promoveri, gravi fuimus indignatione commoti, pro eo maxime quod quosdam eorum per falsas litteras & simoniacam pravitatem accepimus fuisse promotos. Unde ordinatores a potestate suspendimus ordinandi, & ordinatis executionem interdiximus ordinum taliter susceptorum, super hoc vobis litteras apostolicas destinantes. Nuper autem multi de ipsis ad nostram praesentiam revertentes, cum multo fletu & ejulatu quotidie non cessabant ad nos opportunè importunè clamare, suppliciter obsecrantes ut cum eis misericorditer agere dignaremur. Quibus diu nos difficiles exhibuimus & severos in tantum quod eis sub poena excommunicationis injunximus ut redirent, nec nos super hoc diutius molestant. Sed nec sic quidam eorum ab obsecrationis instantia desistere voluerunt, quod magis repellentur a nobis, eò magis apud nos ut misereremur instantes. Ejus denique nos exemplo qui cum iratus fuerit non obliviscitur misereri, rigorem mansuetudine providimus temperandum, cum & ipsi, exemplo Iacob luctantis cum angelo, nullatenus nos dimitterent, nisi eis benedicere curarem. Quocirca fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus his qui de praedictis duobus criminibus canonice se purgaverint, falsitate videlicet litterarum & simoniaca pravitatem, suspensionis sententiam quam in eos tulimus relaxetis;